

Judiciariae Praesidem Joannem Rauch, Adamum Oresky Supremum Regni Exactorem, Zagrabiensis Stephanum Gudich et Crisiensis Comitatum Joannem Simunchich Vice-Comites, nec non pro Actuaria Conferentiarum Regni Secretarium Antonium Spissich elegerunt et deputarunt, Laboris et operis sui Dominis Statibus et Ordinibus relationem facturos.

Articulus Decimus Tertius.

Supra ad formalitatem reincorporationis Sclavoniae ordinatae Deputationis relatio.

Supra, Articulo 3., ordinata ad elaborandam gubernandi inferioris Sclavoniae idaeam deputatio, ejusdem idaeae et laboris sui Dominis Statibus et Ordinibus fecit relationem; quae idaea publice lecta et aprobata, atque Suae Excellentiae Banali communicanda, Dominis vero Commissariis pro instructione danda, publicoque etiam Regni Prothocolo inserenda statuitur; si porro quaequam circa quodpiam praeinsertae idaeae punctum occurrerent considerationes et difficultates, has et tales pro re nata Excellentissimo Domino Comitii Bano, adhibitis ad Latus suum praeinsertis Dominis Commissariis, definienda, et pro alto suo judicio eatenus resolvenda resolvendi plenaria attribuitur autoritas. Cujus idaeae tenor talis est:

Reflexiones circa reincorporationem districtuum Sirmii et inferioris Sclavoniae, Dominis Regni Deputatis, sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Ludovici Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetui Comitis, Sacratissimae Regiae Majestatis Actualis Intimi Consilarii Camerarii et Colonelli, Zagrabiae die 9. mensis Aprilis Anni 1743 considentibus, occurrerunt sequentes, et quidem:

I. De omnimode avertendo in reincorporanda inferiori Sclavonia orthodoxae fidei praeiudicio.

Maximam Dei omnipotentis ex illibate observata, pluribusque tam Diaetalibus quam et Articularibus constitutionibus in hocce Regno stabilita, una et sola eademque orthodoxa fide clementissime profluere Domini Deputati advertentes benedictionem et misericordiam: cumprimis ac ante omnia Dominis Commissariis quo validius recomendandam censeant, ut pro constanti sua tum in sanctam Romanam Ecclesiam devotione, cum vero conservationem pientissimarum eatenus interventarum constitutionum zelo laudatissimo, ne sanctae huic Chatholicae fidei occasione reincorporationis Sclavoniae quodpiam, signanter etiam per Augustanae, Helveticae, Anabaptistarum et Judeorum Confessioni adictos causetur praeiudicium, vel maxime curare et sollicitari non dedignentur.

II. De Gubernio Militari.

Quoniam tum vigore Benignissimi Sacratissimae Regiae Majestatis Mandati, cum et 18. 47. et 50. novissimae Diaetae Articulorum, districtus Sirmiensi